

deligi solent. Jam altius quid de eo præfagiebant ingeniorum æstimatorum idonei, cum adornandi in *Saxonicas Academias* itineris Authores illi extiterunt. Quapropter Anno XXIV. fidem suam Magnifico ac Amplissimo Senatui Argentinenſi dedit ad triennem peregrinationem, Academicamque functionem inde capeſcendam, editoque in ligni illo *Myſſarie Miſſæ Pontificiæ* tractatu, publicæque Diſputationi exhibito, ivit *Jenam*, & hic usque ad annum XXV. ſubſtitit, D. JOHANN. MAJORIS convictor; & juxta JOH. GERHARDO, JOH. HIMMELIO, *Theologorum Trigæ* famigeratiſſimæ, familiariſſimus fuit; GERHARDO potiſſimum, cujus ſub præſidio quinqvies iteratis vicibus, publicè diſputavit. Relicta *Jenâ*, *Lipſiam* conceſſit, & POLICARPI LYSERI HENRICIQ; HOEPENERI amores ſibi conciliavit, Properavitque verò *Wittebergam*, ibique convictu ERASMI SMIDII, Math. & Græcæ linguæ Profeſſoris, & Philologi celeberrimi, uſus eſt: Magnis verò Theologis JACOBO MARTINI, BALTHASARE MEINERO, FRIDERICO BALDUINO conjunctiſſimus. Neque verò diſcendo, ſed & docendo hic profecit; nam & ipſe Moderator, ex ſingulari indultu Facult. Theologicæ, Collegium Theologicum ibidem inſtituit, Anno XXVI. 17. Martii etiam *Wittebergæ* valedixit, & 9. April. adiit *Marpurgum*, ibique convictu Excellentiſſ. THEODORI REINKINGII Haſſiæ tum Vicecancellarii, amicitiaque intimiore MENZERI, FEWRBORNII aliorumque uſus, ad diem usque 17. Martii Anni ſequentis ſubſtitit, interea temporis juſſu *Cancellarii VVOLFII LUDOVICO Landgraffio* Haſſiæ Panegyricum ſcripſit, atque dixit. Avocavit jam Clariffimum *Dorſcheum* Marpurgo vocatio honorifica, nomine *Magnifici Senatus Argentoratensis* 19. Februarii exhibita, deſtinataque illi Theologica Profeſſio. Hanc aditurus 29. Martii Ann. XXVII. in Patriam venit, & 9. Maji orationem habuit inauguralem. Poſtulavit autem tantæ dignitatis functionos titulos, itaque 27. ejusdem affixo programmate ad lectiones cursorias pro conſequeſcendo ſummo gradu inſtituendas & Auditores invitavit, & numeroſiſſimos obtinuit. Mox 13. Septembr. Diſputationem inauguralem habuit Præſes ipſe, Reſpondente, t. t. M. JACOBO SCHALLERO, poſtea & Theolog. Doctore, ac apud Argentoratenses Profeſſore famigeratiſſimo, ejusdemque d. 20. Menſis Examen ſuſtinuit, quod Rigerolum vocant 23. ejusdem à D. WEGELINO, Conventus Eccleſiaſtici tum Præſide, in Eccleſiaſtem ordinatus eſt, ac 9. Novembr. jubente Senatu à D. FROREISENIO Doctor Theologiæ publicè & ſolenniter renunciatus eſt.

Quanta